

U. n. 22m



MATER IESU
ET MATER IUDAE
ACCEDUNT TRIA CARMINA LAUDATA

33m

Litt.

Bibliothèque Maison de l'Orient



171956

MATER IESU
ET MATER IUDAE
ACCEDUNT TRIA CARMINA LAUDATA





MATER IESU
ET MATER IUDAE

CARMEN PRAEMIO AUREO ORNATUM
IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO
ACCEDUNT
TRIA CARMINA LAUDATA.

EDIDIT
ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA
AMSTELODAMI
MCMXXVIII

MATER IESU
ET MATER IUDAE

MATER IESU
ET MATER IUDAE

CARMEN

ALEXANDRI ZAPPATA

ANCONITANI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

PRAEMIO AUREO ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVIII

MATER IESU ET MATER IUDAE.

Iam magnum Christus ferali in monte Redemptor
Consummarat opus, sontesque innoxius inter
Horrendum! exanimis pinu pendebat ab alta.
Ferrata adspiceres traiectas cuspide palmas
Traiectosque pedes, et teli pectus apertum
Ictu permixtaeque scatens cum sanguine lymphae;
Sanguine caesariem, concreto sanguine barbam
Foedaque vulnifico spectares tempora sero:
Nec non et dira restincta heu! lumina morte
Siderea, in teneram vel sic defixa Parentem,
Quae ligno adstabat, ligno complexibus haerens:
Membrorumque artus concisos ante flagellis,

Inque humerum lapsumque caput demortuaque ora.
Iam velum templi — veluti mortalibus aegris
Rursus inaccessum tandem caeleste pateret
Ex votis templum — a summo, laetum omen, ad imum
Ultro diffissum partes prostabat in ambas,
Horrifico crepitu succussis ante columnis:
Insolitos dederat tellus exterrita motus
Concussu vasto et caecis mugitibus, omni
Undique circuitu discissis rupibus, atque
Exanimum e gremio latebrisque emiserat imis
Corpora Sanctorum aethereas sub luminis auras
Multis visa modis vultus pallentia miris:
Prospectum eripiens oculis mortalibus omnem
Iam medio abdiderat nitidum ferrugine cursu
Sol caput, extentis ad nonam scilicet horam
Terrarum densis toto super orbe tenebris,
(Tamquam immane nefas atro velaret amictu)
Obstupefacta quibus subita formidine late
Impia perpetuam metuissent saecula noctem:
Mox etiam, caedis praenuntia signa futurae,
Per totum caelum tristi coepere vagari
Agmine sanguineae Solymisque incumbere nubes,

MATER IESU ET MATER IUDAE.

7

Ut trepidas mentes propius percelleret ultor
Infandi et sceleris iam conscia pectora terror.

Vesper erat: spumans descendit caede caterva
Pallida carnificum, dextris et pectora plangens;
Descenditque simul pharisaeae ficta cohortis
Maiestas, instructa dolis atque arte maligna,
Nec non partitis avido certamine quotquot
Exuviis, tunicam Genetrix quam neverat alma
Haud sutam, adnuerant ecquis sortitus haberet.
Postera degrediens tristi de vertice plorans
Christicolum lente muliebris pompa dolensque
Carpsit iter, maestisque alacris cum matribus una
Cursantum circum puerorum turba satelles
Inscia prodigii, et visis quot denique signis
Mutua quaesierant submissis vocibus „estne
Est vere iste Deus, summoque aequaeva Parenti
Inclita Progenies? — Erat at tum sub cruce stantis
Obtrutuque decus defixae Matris in uno
Cernere virgineum pallentiaque ora relictæ,
Obsequio ac tenero suffectæ prolis amore
Suffultæ atque ulnis: erat et potiora secutam

8 MATER IESU ET MATER IUDAE.

Magdalidam penitus redamatam cernere amantem
— Utpote divini fuerat quae fida Magistri
Iam comes — haerentem trunco complexibus arcis
Effusoque pedum tergentem crine cruorem.

Annorum interea mulier sub pondere panda,
Amentis patriis Galilaeae e finibus instar
Excita, per colles inhians per devia rura
Tota funereum regione ad Golgota passim
Sola vagabatur: properum nunc sistere gressum,
Funderet in lacrimas conceptum ut corde dolorem,
Incisam nunc illa viam virtute superna
Pergere et arcano properantior incita fato.
Percontans ibat, verax num fama tulisset
Iudam vesano vilis mercedis amore
Sanguinis insontem cupidae iustumque Magistrum
Ausum carnificum mactandum tradere turbae.
Ut rem rescivit, miserae tremor occupat artus,
Frigidus atque animum terror pertentat et horror.
Pallenti vultu mox inde hirtoque capillo,
Distorquens oculos foedataque pulveris imbre,
Occursus seque ipsa pavens huc rursus et illuc

It cursim, attonitae nullo solamine menti,
Aufugiens exspes, oculos et deflet amare.
Persentit caput ipsa sibi vinxisse coronam
Intextam spinis et acus fōdisse cerebrum:
Utramque ipsa manum et plantam persentit utramque
Transfixas clavis, cunctosque a vertice ad ima
Sulcatos loris artus flagrisque cruentis,
Et lacera accipitrum velut uncis unguibus exta.
Interdum adsiliens capiti vis sanguinis aegro
Ecfervet, vultusque repens ceu flamma rubescit,
Interdum egelidus coit in praecordia sanguis,
Effetae et miserae frigent in corpore vires,
Deficit atque animo torpens ac decolor, illa
Ore vomens spumas, crepitans et dentibus, atque
Ilia continuis tendens singultibus ima.
Haud semel et mammas visa est pressisse sinumque,
— Obstruit interea fauces dum nodus et angit,
Emicat ac saliens cor crebro in pectore pulsu —
Infantem quo nempe piis complexa lacertis
Lactentem blande dormitantemque fovebat,
Solamen praesens ac spem decus adfore quondam
Praesidiumque seni: at quantum nunc mentis ab illa

Mutata ante oculos nati obversatur imago!
Nunc ustis errat labris ustoque palato
Exspes, at ritu protendens saepe precantis
Palmas ad caelum tremulas. Sic denique longas
Mensa remensa vias annosis intrat opacum
Forte oleis hortum, foliorum interque susurrum
Illius excipiunt arcani murmuris aures
Ceum furtim venas: oculos intendit et aures
Incedens lente. At subito perterrita visu,
Proiiciens mulier compressis brachia pugnis,
Ceum monstrum vellet conspectu arcere nefandum
Obscenumque nefas, magno clamore remisso
Haeret hians immota diu, ut si ecfugerit ore
Spiramen vitae. Iudas pendebat ab alta
Arbore paciferae laqueo suspensus olivae,
Antea perfidiae fuerat quae conscia testis
Immerito scelerisque novi.

Iam vespere prima

Nox erat exacto, mirisque exserta tenebris
Pleno luna polum conscendere coeperat orbe,
Collustrans alba funestum luce theatrum

Caedis, silvarum frondes et lata viarum
Instantique Urbis devotae tecta ruinae,
Quam tamen, excussa pavidi formidine monstri,
Omnibus illecebris securam epulisque superbis
Per totam noctem rite indulgere videres.
Iam Christi quandoque novum paulo ante sepulti
Iussorum inde gravis custodum gressus ab arce
Ad tumulum resonans aures feriebat euntum:
Quandoque ab clivis circum delapsus apricis
Excubias vigilum spargebat clamor agentum
Et datus inque vicem campestria redditus ima.
Alma Parens Christi e myrrhae tum colle profecta,
Ad terram ora modis submittens pallida miris,
Voce carens omni et morsu consumpta doloris
Obtutuque haerens, maestae subnixa puellae
Fido humero laeva, est lente descendere visa,
Oblita atque sui crebro spectare retrorsum
Abdens materno Natum cum corde sepulchrum.
Solae ibant, tacitae per taetra silentia lunae:
Iamque propinquabant, declivi calle remenso,
Ad murum foedoque Urbis cognomine portam,
Vilia queis aliquot suberant magalia passim

Congestis calamis, comitem cum sola repente
Perculit ancipitem sublustri noctis in umbra
Triste iacentis anus porrecta in pulvere imago.
Substitit, et lacrimis trepidans ita fatur obortis
„Alma Parens” — sic namque sui peramanter Iesu
Matrem compellat — „iacet hic proiecta seorsum
In nuda acris humo nimirum praeda doloris
Semanimis mulier”. Torpore excussa profundo,
Virgineos oculos Christi tum dulce recludit
Sancta Parens, supraque gemens inflexa iacentem,
Comis at Illa tamen, suppressa voce „quid”, inquit,
„Fles, soror, aut torquet quis te nunc maeror et angit?”
Turbida continuo distortuens lumina vultum
Extulit, et niveos fundens e vertice crines
Infelix, spectatque diu ceu capta Rogantem,
At nil respondet. Rursus sic Illa benigne:
„Quid tandem defles exspes? Affare;” simulque
Maiestate manus frontem transcurrit honestam
Ipsa Suam, eliceret veluti inde repostum
Iudicium, mentis vario pulsata tumultu:
Mox „causam”, insequitur, „videor vidisse doloris
Nunc mihi nempe tui: Ipsa meum pro! nuper Iesum,

Et scelus infidi prodentiaque oscula Iudae
Heu! comitis, tenui nummorum pondere, furis:
Supplicium at sceleris, desperatique perenne
Dedecus interitus imo pia corde, simulque
Insontis matris maerorem maeret anilem.
Excita mox tenere palma concludit utraque
Rugosum miserae vultum, et blanda oscula figit,
Equae solo Ipsa piis sublatam amplexa lacertis:
„Tu mihi”, dixit, „eris iam nunc soror: eia age, tu me,
Ne timeas, sequere. In stabulo vix natus Iesus
Et paleis recubans, praeco loca quaeque pererrans,
In cruce demoriens, cunctis mortalibus auctor
Paciferam veniam, aeternum praecepit amorem.”

In cruce iam taetro calvarum colle peremptum,
Aspera composui gelido post fata sepulcro,
Ipsa ego, sic placitum, et parvae pia cura cohortis.”
„Vae mihi, vae miserae”, tum demum his percita dictis
Eiulat exsiliens mulier de sordibus: at mox
Prona iterum genua Adversae complectitur arcte,
„O quae”, sic fatur lacrimans, „Hominemque Deumque
Heva prognatis in spem lactare salutis
Ubere virgineo dignata es caelitus, ecce
Ubere vipereo miseram, cui contigit eheu!
In caedem Iusti monstrum lactare nefandum,
Adspicis haerentem genibus: ne, Mater Iesu,
Caelica tartaream diris ultricibus, oro,
Iudae devoveas matrem: meus haud meus ille,
Quem sceleris veniae, quem spes heu! fracta salutis
Compulit ad laqueum, ramo dependet ab alto
Arboris exanimis! melius si natus homo ille
Non esset! consors at Tu mihi parce dolorum!”
Talibus obstupuit verbis sanctissima Christi
Interea Genetrix, oculos defixa tumentes
Stans atque ora solo, fremituque incogitat una
Et dulcem Natum placantemque hostiam amoris,

LUCIUS

CARMEN

HERMANNI WELLER

ELLWANGENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVIII

LUCIUS.

Ver suberat blandum, sed nix recidiva tegebat
 Omnia, constiterant flumina vincta gelu.
Induerat vestes albas pater Apenninus,
 Et mirans nitidum silva ferebat onus.
Si quae floruerant violae, torpore rigeant:
 Obruerant saevae germina prima nives.
Roma, salutiferi sperans iucunda Favoni
 Flamina, victrices senserat ipsa nives.
Quique novo veri iamiam patefecerat aedes,
 Reddebat calido torrida ligna foco. —

Marmoreo splendore nitens prope Thybridis undas
Divitibusque hortis stabat amoena domus.
Mancipiis locuples illic degebat et aere
Porcia cum nato, coniugis orba pii.
Filius, insignis formoso flore iuventae,
Artibus et studiis se dabat ingenuis.
Ardebat nimium sophiae potare fluenta,
Sed, vix inventas, abiciebat aquas.
Doctorum multos evolverat ille libellos
Creverat inque dies non relevata sitis:
Poscebat meliora bono quoque fonte reperto,
Nescio quid sanctum mirificumque petens. —
Frigora dura vetant campi per aperta vagari,
Atque animum studiis detinuisse iuvat:
Conclavi latitans doctus quoque Lucius amplo
Versabat cupida scripta vetusta manu.
Iamque dies medium caeli superaverat orbem
Et breve deficiens accelerabat iter.
Venerat a domino cantatrix iussa Theoris,
Docta manu tenera pellere fila lyrae,
Serva, sed egregio formae generosa decore
Et simul ingenii nobilitate boni.

Seposuit iuvenis verbosa volumina tandem,

Curaque de nitida fronte severa fugit.

„Incipe dulce melos, dixit, formosa Theoris:

Haec erit Aoniis aptior hora modis”.

Sustulit illa caput flavum sertisque decorum

Et dedit hos cantus, plectra sonora movens:

„Te, Lenaeae, canam, Semeles generosa propago:

Mitis ades, nostris carminibusque fave.

Indomitus totum superasti, Thyrsiger, orbem,

Atque triumphata Martis in urbe regis.

Tu, deus, immites domuisti, sancte, Lycurgos,

Morte luit Pentheus crimina dira ferox.

Dona tamen pretiosa tuis et multa tulisti:

Plenus erat per te fertilitatis ager.

Melle thymi maduere suo, viridis dedit arbor

Poma, dedit latices pinguis oliva suos.

Tentaque nectareo manarunt ubera lacte,

Multiplices fetus progenuitque pecus.

Quo tu cumque pedes tuleras, genialis Iacche,

surgebant tenerae germina fausta rosae.

Mortalis, rigidi natus de pondere saxi,

Per te factus homo est, factus et ipse deus.

Tu primus teneram docuisti ponere vitem,
 Ut latices gratos nobilis uva ferat.
Concipit uva rubens ardorem sideris almi:
 Allicis ex ipso numina magna polo.
Uva dat ambrosium Phoebi mortalibus ignem:
 Te Solemque bibunt, qui tua dona bibunt.
Mira, deus generose, tuis incendia praebes:
 Et sacer afflatus numine fervor habet.
Frigora tu solvis, curas depellis amaras,
 Tu pandis Veneri Laetitiaequae fores.
Quid sine te possunt artes, quid carmina possunt?
 Quid sine luce tua vita caduca foret?
Tu nobis servator ades, deus; imbue semper
 Corda salutifero numine nostra tuo".
Desierat. Posuit plectrum, dominoque ministrat
 Psaltria laudati munera sacra dei.
Ille bibit. Paulum meditatus dixit: „Amoenum
 Carmen; et es vere magnus, Iacche, deus.
Floribus et laeto quid enim divinius agro,
 Quid maius sanctis artibus esse potest?
At video curas hominum multosque dolentes:
 Sic mea perpetuum pectora vulnus habent.

Saepe rosae dixi: Tenerum tu comprime florem;
Nec mihi sic misero Bacchica vina placent.
Quocumque adspicias, lacrimas tormentaue cernis,
Nec poterit cunctis ferre Lyaeus opem.
Causa fuit caecis inimicis ipse doloris
Euhius, et regnum non sine caede tenet.
,At dabit ardorem!' — Stipulas combure: relucens
Surget flamma brevis: protinus algor erit.
Frigore cuncta rigent, hominum quoque pectora frigent:
Qui deus ah vincet, dic mihi, tale gelu?
Quis magicum carmen vocem sacramque loquetur,
Quae mollis Zephyri lenia flabra vocet?
Et tu frigus iners intra tua pectora sentis:
Ante oculos errat patria cara tuos.
Pone metum, confide mihi: tua vincula solvam:
Cras eris immiti libera servitio.
Laetitia perfusa micant tua lumina dulci:
Iam mihi postremum percute, cara, lyram.
Sed cane de tepido nova carmina vere, Theoris,
Omnia quae rigido frigore corda levent.
Iamque manum teneram nervis admoverat illa,
Cum domus horrenda voce repente sonat.

Illius in sonitum vocis lamenta putares
 Humani generis cuncta coacta simul.
Quotquot in his terris umquam sonuere querelae,
 Tot sonus hic una fundere visus erat.
Lucius obstipuit, terrore expalluit illa;
 Ex oculis iuvenis mitibus ira micat.
Desiit in gemitum clamor gemitusque resedit:
 Non ignotus erat talis utrique sonus.
Digreditur, lacrimas fundens, dimissa Theoris,
 Lucius egrediens atria longa petit.
Nec mora magnanimus solam stetit ante parentem
 Filius inque oculis flammeus ignis erat.
„Mater, ait, tanto liceat mihi verius uti
 Nomine, quo nullum mitius esse potest!
Ah quotiens, mater, crudelia iussa dedisti:
 Nunc quoque verberibus caesa ministra dolet.
Tu nisi servorum poteris sentire dolores,
 Te moveant nati mollia corda tui,
Quae laceras crudis inclemens ipsa flagellis,
 Cum crucias flagro corpora serva fero.
Si nescis flecti, domineris in aedibus istis,
 Sed tamen a nato sola relicta tuo”.

Porcia subridens caput attollensque superbum

Rettulit immiti talia verba sono:

„Femineis audes matrem vexare querelis

Et punire malos crimina foeda vocas?

Fregerat antiquam muliercula futilis urnam:

Acceptit culpae praemia digna nocens.

Semivir, an doctis vernas moderabere libris?

Quid iuvat in molli mollis habena manu?

Romanae suboles quamvis generosa parentis

Tu nunquam Latio sanguine dignus eras.

Talia si proavis barbatis corda fuissent,

Exiguum tegetet nunc quoque Roma locum”.

„Parce, precor, dictis, respondit natus, amaris:

Me quoque Romulidûm gloriôr esse genus.

Ac Romam Romanus amo: quid pulchrius Urbe

Quid maius nostra visere, Phoebe, potes?

At si plena riget miserorum Roma catervis,

Quid iuvat hoc tantum posse videre decus?

Sunt tibi divitiae, speciosaque marmore tecta,

Multa tibi fundunt praedia ruris opes.

Sed tamen, ut frigent terrae, sic frigore nostri

Torpscunt animi tota rigetque domus.

Hic pōsuit Baccho sanctam pater optimus aram
Laetificoque tulit plurima sacra deo:
Omnia sed nostris abierunt gaudia tectis;
Poena metusque regunt, oraque cuncta silent.
Et — nisi lamentum taciturna silentia rumpit —
Esse putes nostram frigida busta domum.
Utque malo domus ista iacet perfusa rigore,
Sic riget aerumnis orbis et ipse suis.
Quae, data terrigenis, fuerat purissima tellus,
Est scelerum foedis commaculata notis.
Omnia pestiferam cumularunt saecula culpam,
Cuncta madent lacrimis, sanguine cuncta rubent.
Quis feret ardentem, lustrantia lumina, flammam?
Quis solvet sacra voce perenne gelum?
Tu quoque divino possis accendier igni
Et tibi di tribuant mitius ingenium!”
Finierat natus. „Genetricem, Porcia dixit,
Desine iam probris exanimare tuam!
Sic blaterat, credo, mystarum turba Syrorum
Sordida: Te, non me talia verba movent.
Iustitiam rectumque colo semperque tenebo
Fortiter invicta frena severa manu”.

Dixit, erant vultus pleni gravitate superba;
„Ibimus, ah certum est, ibimus” ille refert;
„Ah quoniam glacies non est te durior ulla,
Hinc ego digressus praedia cara petam.
Dum grave frigus erit, renovabo gnavus aratri
Robur et hiberno squalida rastra situ.
Cum servis rigidas divellam vomere glebas,
Ut pateat vernis solibus aptus ager.
Suave nemus repetam, genitor quod mitis amabat,
Blandaque fundentem murmura fontis aquam.
Cumque pio pastore cubans sub tegmine quercus
Auribus illius carmen agreste bibam.
Sic ego secretus vivam, dum tempora nobis
Di meliora ferant: Tu dominare — Vale!”
Dixerat. — Egressus taciturno stabat in horto:
Mater siderei nox erat orta chori.
Flevit, et infandas senserunt pectora curas:
Discidio tristi Lucius aeger erat.
Ceperunt iuvenem generosum taedia vitae,
Cordaque iam subiit languida mortis amor.
Sidera sed spectans miro fulgore corusca
Erigitur, mentem spesque reducta fovet.

Vos, ait, e caelo lustrantes omnia flammās
 Mittite, nocturni lumina casta poli.
 Dixit et in sua tecta redit. Cedentibus astris
 Lucius ad servos in sua rura fugit.

Tandem floriferi venit levis aura Favoni
 Et placide lentum solvit ubique gelu.
 Germina fudit ager nec iam metuebat arator,
 Ne rediens herbis frigora ferret hiems.
 Provenere croci molles violaeque nitentes,
 Suavibus ex hortis fluxit amoenus odor.
 Inque forum pecudes mittebat villa tenellas
 Et quae dona novi cetera veris erant.
 Lucius ipse suis cum vernis ivit in urbem,
 Nescio quo Romae tractus amore suae.
 Venerat in vicum celebrem lateque patentem:
 En, novus hic mystes parvaque turba fuit.
 Lippus erat, tenuis, valgis quoque cruribus, ille,
 Lingua peregrinis saepe notata sonis.
 Armiger astabat custos: diffidere, miles,
 Desine: non agitat debilis iste fugam.
 Atque aliquis dixit: „Modo ducere fila solebat,

Nunc tamen ah Paulus ducere corda solet".
Hunc audire placet iuveni: radiabat Apollo,
Sed iucunda novi lumina solis erant.
Ex oculis Cilicis fulgebat flammeus ardor,
Dum sua perfusus lumine verba facit:
„Est genus, est quoddam divinum, dixit, amoris:
Hic monstrabit amor dulce salutis iter.
Si linguis hominum loquar angelicive senatus,
Sim velut aes raucum, si mihi desit amor.
Cunctaque si norim summus mysteria vates
Et mea sit montes transpositura fides,
Sed mihi desit amor sanctus pietasque benigna,
Sim nihil et veluti planta vigore carens.
Si mea pauperibus donem patiarque cremari,
Nil tamen hoc prosit, si mihi desit amor.
Est amor hic patiens, mitis, non aemulus unquam,
Non tumidus; nec se nec sua quaerit amans.
Immemor est damni, verax, non laudat iniquum;
Omnia fert, sperans, omnia credit amor.
Cessabunt linguae praesagaque carmina vatum:
Nunquam cessabit, credite, sanctus amor".
Desierat Paulus: divini numinis igne

Afflatus lacrimis Lucius ora rigat.
Dulcia praeberat sermo solamina mirus,
 Virtuti stimulos addideratque novos.
Quae posset rigidas miseris vox sacra catenas
 Rumpere, mirificus dixerat ille Cilix.
Ille piaturum caelo deduxerat ignem,
 Almus ut afflaret pectora multa calor.
Quodque erat ignitum iuvenis sub pectore semen,
 Crevit et e tenui maxima flamma fuit.
I nunc, sancta tuis moveas incendia, Luci:
 I nunc: veris habes omina fausta novi.

QUATTUOR ANNI
TEMPORA.

QUATTUOR ANNI
TEMPORA

CARMEN

IOANNIS MAZZA

HERCULANENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVIII



QUATTUOR ANNI TEMPORA.

Late spargit hiems sua dona nivalia: multa
sub nive dormit ager,
interno Vesuvi flagrantis et igne coronat
candida nix apicem.

Flant gelidi venti, rumpunt se e nubibus imbres;
res animique dolent.
Alliciant alios ludique theatraque: habebit
me mea cara domus.

Ardent salsa foco scissae vestigia navis:
ignis olet pelagus.
Da lasso, coniux, veteris da pocula Bacchi,
porrige Vergilium,

QUATTUOR ANNI TEMPORA.

vel Flaccum; boreas dum saevit vespere tuque
parca alimenta paras,
restituam vino vires, musaeque latinae
flumina larga bibam.

Ver adest: laeti rediere campis
flosculi, argutae volucresque coelo,
sparsa securi zephyrique mulcent
aequora velis.

Numina ah vivunt veterum! Canentis
audio Panos calamos per auras,
candida innuptas video legentes
lilia nymphas.

— Nonne me vatem, tenuis, camenae
spiritus replet Latiae? — Bicornis
e cava tollit Satyrus sonorum
illice risum.

QUATTUOR ANNI TEMPORA.

7

Dira iubemur, Marce, canicula
urbe aestuosa cedere, frigus et
 captare frondosis in umbris
 undisonive maris per oras.

Litus iocosum te iuvenem manet,
risus procaces atque sodalium
 et more velatae puellae
 Nereïdum et faciles amores.

Divina ruris, qui decimum modo
lustrum peregi, cara mihi quies,
 oblivio vitae Lyaeus,
 et tua dulcia mella, Flacce.

Pampinea autumnum redimitum tempora vite
pendula Libra tulit.
Prima velantur colles caligine et agri,
pectora maestitia.

QUATTUOR ANNI TEMPORA.

Agmen triste gruum, tranans longo ordine caelum,
litora nostra fugit.

Laetus at ille rosas donat fructusque, racemos
ille rubere iubet.

dumque premit pedibus lectas de vitibus uvas,
purpureusque fluit
— „Evoe, Liber, ades!” faunis clamantibus — humor,
admonet haec sapiens:

„O moriture, breves aerumnis corripere annos
hoc, fuge, dante deo;
namque novasque vetus scit Bacchus pellere curas,
scit veteresque novus.”

CARMEN LUSTRALE.

CARMEN LUSTRALE

IOANNIS NAPOLEONE

LIBURNENSIS SIVE TRITURRITANI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVIII

CARMEN LUSTRALE.

Favete linguis: dicere Fascium ')
decus superbum, dicere gloriam
me luce lustrali Camena ')
cum cithara monuit latina.

Signis virorum, queis dederit Deus
cara beatis pro patria mori,
palmasque flores et rubentes
ferte pie, iuvenes, et albos. ')

Luctus sed absit: nescia cedere
leto, supernis coetibus addidit
virtus: sacramento parasse
fortibus hic animos iuvabit.

CARMEN LUSTRALE.

Magnae Parenti reddere credita,
mentis vigorem, brachia, sanguinem,
legem mementote et supremam
esse, boni, patriae salutem.

Laetare civis: prisca renascitur
virtus: securis fascibus imperat
innixa: gentes inter omnes
Roma viget potiore scepro.

Sed quisque falsa lusus imagine
veri ante lustrum nempe rebellium
praecepta sectans saeviebat
per fora: funeris et recenti

datum triumpho nomen: adream
ut gloriosis vulneribus virum
calumnias opprobriumque
obtulerant homines scelesti.



CARMEN LUSTRALE.

Nutare regnum vidimus undique:
fabri officinas, praedia rustici
liquere: cum pacem rogarent
mille aderant scelerum figurae.

Sed ecce gentem consilium viri
frenat ruentem in dedecus ultimum
virtusque praestat clara rebus
subsidium male luctuosis.

Et pace gaudent, oppida et antea
urbes calentes seditionibus
sanctusque despectae redivit
militiae Cererisque cultus.

O criminosum de Capitolio
qui suscitatus verrere dedecus
nostrae salutaris, Benite,
grandis honor columnaque gentis.

CARMEN LUSTRALE.

Magnam Parentem conscelerantium
 semen vetabis vivere perfidum:
 Dictator, incassum latrabit
 ira canum procul arrogantum. 4)

Nihil timendum, te duce et auspice;
 diu tenaci pectoris indole
 citraque formidate et ultra 5)
 Numine iura dabis secundo.

Te luce diva Fama nepotibus
 seris decorum tradet, ad optima
 magnum incitamentum, bonosque
 efficies generosiores.

1) Fasces intelligas partis a Benito Mussolini creatae ductaeque signum.

2) Quinto volvente anno cum Benitus Mussolini summum Italiae imperium adeptus est.

3) Colores Italici vexilli designantur.

4) Scilicet ira insipiens praesentis Italiae regiminis osorum, qui ab exterioribus terris, quo confugerunt, totis malignitatis viribus regimen ipsum calumniantur.

5) Videlicet citra et ultra Italiae fines.